Ordinis Carmelitarum Prouinciæ Bethicæ.

1 Eme, & Rme Dñe. Post quam Aduersarii non erubuerunt aduersus notoriã probitatẽ, & notiorũ candorẽ Præsidentis nostro Capitulo, sequentia registrare in eorum falsis attestationibus ibi: *Magnificabant &c. tenacitatem Illmi Archiepiscopi Hispalensis*; & ibi: *Monsignor Illustrissimo Arciuescouo era talmente d'impegno, che il tutto auerebbe abbandonato, per riuscire col suo intento, e superare il tutto*; & ibi: *Plurium pecuniæ expensum fuit Romæ, & cum Archiepiscopo; sed habuimus intentum*: Cum quibus concordant DD. contrarii Defensores in §. *Quidquid autem ibi obtinuit deputare in Præsidentem Capituli Magnatem eius fautorem &c.*, & ibi: *Tota cura, tum ipsius, tum eius Fautoris in eo stetit, quod augerentur præter ullam necessitatem Vocales*, & ibi: *Non deerant disseminatores faciendæ per fas, & nefas electionis in personam P. de los Rios Aduersarii, quia talem omnino personam in Prouincialem exoptabat Præpotens Capituli Præses, cui ad huiusmodi effectum non deerant media opportuna*: Ad quas falsas attestationes relatiue ibidem se habuerunt dd. contrarii Scribentes Pænitentia deinde ducti, vel potius rubore suffusi, sequentibus verbis dictum eorum secundum Restrictum sigillarunt: *Dum de nullitatibus huius electionis conqueruntur, proponendo præsertim Vocalium augumentum &c. nil penitus tribuere intelligunt Personæ Reuerendissimi Archiepiscopi Hispaleusis, qui in eadem electione Præses adstitit.*

2 Pro congrua autem responsione applicari videtur id, quod practicauit Martinus quartus cum illis Oratoribus siculis, qui postquam eidem maledixerant, petentes ab eodem veniam, ter ei dixerunt *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi dona nobis pacem*, quibus nullũ aliud dedit responsũ Sũmus Pontifex, præter illud, quod refertur *Io: 19.3.* Teste *Io: Villano in Cronica lib. 7. cap. 63. fol. mihi 206. Il Papa in pieno Concistoro fece dare questa risposta, senza altre parole: Aue Rex Iudeorum, & debant ei Alapam; Onde gli Ambasciatori si partirono molti confusi*: quales speramus recessuros esse pariter ab Vrbe Detrectatores existimationis, & decoris dicti Excellentissimi, & Reuerendissimi Præsidis, qui si usque ad sydera exclamauit, & merito conquestus fuit cum Sanctissimo D. N. ex eo solo motiuo, quod impugnabatur substantia illius electionis, cui ipse assistentiam præstitit non voluntariè, sed in exequutionem mandati Reuerendissimi Hispaniarum

Nuncii, & ſpeciatis Præcepti Sanctiſſimi D. N., *quod ſuam repugnantiam eidem Capitulo præſidendi aicit*, iuxta illius præciſa verba, quæ recognoſcere ſupplicamus in eius Epiſtola data in noſtro *Summario num.*13. Quid erit dicendum quando ad eius delicatiſſimas aures peruenient notitiæ, & eius fidelibus oculis ſubiecta erit horrenda illa calumnia, quod mediante receptione denſi luti, iuxtà phraſim *Habacuch.*2.6., ipſemet procurauerit Electionem Patris del Rios. Et quod magis eſt eadem horrenda calumnia temeritate verè inſigni non ſolum Typis euulgata fuit in Urbe ſed in perpetuas æternitates in publica forma relicta in Secretaria huius Sacroſancti conſeſſus.

3 Deueniendo modo ad contrarias criticationes, omiſſis aliis, late conſutatis in noſtris Scripturis, breuiter dicimus, quod nullam merentur animaduerſionem prætenſa reſtrictio eligendorum, necnon admiſſio Vocalium, qui non debebant admitti, & reiectio duorum, qui prætenditur exaduersò, quod Jus ſuffragandi habebant.

4 Non prima, quia talis objectio claudicat in facto, & nullam meretur animadverſionem in Jure Claudicat in facto, imò in illo evidenter excluditur à contrario *Summ. in præterito centrario Summ. num.*9. *lit.D. & in noſtro Summ. num.*10. ubi circa nominationem, factam ab Excellentiſs. & Reverendiſs. Præſide hæc leguntur *Propoſuit ſequentes RR. PP. MM.* qui ibi ſpecificantur, ſed ibidem non legitur reſtrictio exadverſo ſomniata, quod alii extra dictum numerum non eligerentur, quod gratis ubique aſſeritur in contrario ſecundo Reſtrictu §. *Abſque eo*, & pluſquam evidenter excluditur, ex facto innegabili, ex quo conſtat, quod juxta permiſſionem, omnibus vocalibus datam ab Excellentiſs. & Reverendiſs. Præſide, habuerunt Vota duo alii Religioſi, non contenti in dicta nominatione; Hujuſmodi autem modus nominandi, præſcindendo etiam ab aliis reſponſionibus ultro admittitur à Doctoribus, ſequutis à *Bordon. reſol.*26. *quæſt.*8. *num.*25. *& Donat. Rer. Regul. tom.*2. *trat.*1. *quæſt.*10. *num.*9. ibi :: *Eo fortiùs, ſi coarctatio non ſit facta cum aliorum excluſione, ut cum ſuperior declarat, ſe per dictam limitationem non velle excludere meliores, ſi quos habent.*

5 Minus eadem objectio relevat in jure ex tribus limitationibus, communiter datis à Doctoribus generali regulæ, quod non ſit permiſſum electionem coartare ad paucos vocales.

6 Prima, quod illa non procedat, accedente Summi Pontificis voluntate, quæ in caſu noſtro evidenter deſumitur ex Confirmatione in forma ſpecifica deputationis in Præſidem noſtri Capituli in Perſona Exceltentiſſimi, & Reverendiſſimi Archiepiſcopi Hiſpalen. in qua illa continebatur ex adductis in noſtris ſcripturis.

7 Se-

7 Secunda verò, in sensu omnium Doctorum, permittitur limitatio Eligendorum, quando illa fit ex necessitate, ex adductis à *Passarin. de Elect. cap.2. nu.7. & seq. Megal. in Promtuar. part.2. verb. Election.11. Castellin. de Election. cap.3. num.7. Donat. rer. regul. tom.2. tract.1. quaest.10. num.8.* ibi :: *Secus si Electores praestiterint causam restrictionis, tunc enim potest superior restringere ad tres non autem ad unum* ibique *num.14.* refert ita practicatum in sua Dominicana Religione à P.Generali Rodulphio in casu duriori unius dumtaxat eligendi subdens *Electio ad illum unum perventa, fuit valida, & canonica omnibus modis Bordon. resol.26. quaest.8. nu.25.. & Lazzan. oper. Moral. tom.1. cap.15. num.116.* ibi :: *Quando Electores praestiterunt causam dictae restrictionis, potest superior id facere, quod forsan etiam contingit in praesenti, si forsan dicta Constitutio facta fuit ex occasione, quod aliquando viderint Praelati dictae Congregationis, quod Monasteria eligebant minus probas, aut dignas personas.*

8 Quod autem Adversarii causam dederint dictae nominationi sex Religiosorum, Urbi & Orbi per haec verba notum fecit dignissimus Praeses, in Epistola data in *nostro Sum. num. 13. inveni ipsum ordinem in hoc tractu ad eo turbatum, ut vix Domus esset in qua Vicarius Provincialis Priorem, vel rectorem vi, aut dolo non deposuisset, aliumque suae affectionis in eius locum ad numerum suffragantium in futuro Capitulo augendum, non suffecisset. Comperii Nuntium Apostolicum Hispanum de iis violentiis cognovisse, omnesque, tam in ordinatas, & iniustas providentias revocasse.*

9 Obiter, sed non sine magna serietate enixissimè observantes hic, quod Vicarius ille Provincialis, *qui vi, vel dolo omnes Rectores Conventuum nostrae Provinciae mutaverat ad augendum numerum suffragantium ad proprium favorem, cujusve injustas, inordinatasque deputationes revocaverat Rmus Hispaniar. Nuncius*, est met R. Joseph Consalez Sandoval qui in hac Causa non solum facit figuram Testis, sed tanquam Dux, & caput aliorum paucorum vocalium Excommunicatorum, & Rebellium, erga Decreta, & Mandata dicti Reverendissimi Nuncii Hispaniarum serena fronte in hac causa comparet, & cum suis Asseclis in secundo *Summ. nu. 5. et pluribus seqq.* non erubuit asserere, quod in Urbe omnia per pecuniam obtineri possunt; In qua parte utinam non fuisset verificatum id, de quo dubitavimus in nostro Memoriali additionali, quod scilicet talis calumnia legeretur etiam impressa in Scripturis Typis evulgatis in Urbe per omnia Hispaniarum Regna evulgandis.

10 Devenerunt autem iidem Adversarii ad dictam temeritatem ex eo forsan motivo quod aliquando irrito tamen conatu ipsi id ten-

tentaverint obtinere, juxtà celebre illud *dictum Senecæ de more in principio quæ de ſe ſciunt homines, hæc in aliis ſuſpicantur.*

11 Tertia limitatio verificatur punctualiter in noſtro caſu, quando Generales Religionum deteterminant numerum Eligendorum, non ad proprium libitum, ſed vigore conſuetudinis, in propriis Religionibus vigente, quæ ſervanda eſt, ut omiſſis generalibus, in puncto noſtri caſus pro limitatione d. Regulæ obſervant, & optimis rationibus comprobant *Lezzan. oper. moral. to. 1. cap. 15. de Elect. à nu. 107. uſque ad finem Bordon. reſol. 26. qu. 8. nu. 2. Caſtelliu. de Elect. cap. 3. n. 7. et Donat. rar. regul. to. 2. tract. 1. qu. 10. n. 10.*

12 Quod autem in noſtra Religione talis adſit immemorabilis conſuetudo, roborata diſpoſitionibus multorum Capitulorum Generalium, notorium in illa eſt, & obſeruant illius Alumnus *Lezzan. d. tom. 1. cap. 15. num. 109. et ſeqq. et nu. 113.* necnon extrà illam *Paſſerin. de elect. cap. 2. num. 7.* ibi: *Conſuetudinem proponendi plures Electoribus etc. eſſe in Religione Carmelitarum ut non eligant niſi ex propoſitis à Generale, vel Provinciali Donat. rer. Regul. tom. 2. quæſt. 10. num. 10.* ibi: *Talis eſt conſuetudo multarum Religionum, et præcipuè Carmelitæ in qua Provinciales non eliguntur niſi ex Propoſitis à Generali etc.*

13 Et ex his remanet cathegoricè reſponſum authoritatibus omnibus in contrarium adductis, & præcisè reſolutioni hujus Sac. Congregationis diei 13. Octobris 1585. à me relatæ, & ſequutæ *in tom. 1. Eccleſ. diſcept. par. 1. diſcept. 13. num. 73.* & adductæ in contrario ſecundo reſtrictu §. *Abſque eo* ibi: *Ne quidem poteſt Generalis talem coartationem validam facere, Decreto, irritante electionem, nec Electores eis tenent obedire, ut refert Urſaya etc.*

14 Id enim verum eſt, quando Generales Religionum id faciunt
propria authoritate, & ad eorum libitum, iuxta terminos, in
quibus ego ſcripſi, & obtinui in loco ſupracitato ſecùs verò,
quando P. Generalis id facit vigore conſuetudinis, in propria
Religione vigentis, vt in ſpecie notant *Lezzan. Carmel. to. 1.*
cap. 15. de elect. num. 117. ibi: *Reſpondendum eſt ad declara-*
tionem Sac. Congregationis &c. Vt enim conſtat ex illo verbo
Prælato, manifeſtè loquitur Sac. Congregatio quando talis coar-
ctatio ſit ſolum ad libitum Prælati, non autem quando ſit ex
conſtituet à Sede Apoſtolica approbata, & confirmata, & ex
conſuetudine legitima, & concordant *Paſſerin. de elect. cap. 2.*
num. 16. ibi: *Nec in hoc caſu obſtat declaratio Sacr. Congrega-*
tionis ſupra relata, quia ipſa loquitur de eo, quod per ſe, &
regulariter eſt agendum, & prohibet, ne Superioris ad libitum
coarctent electiones ad minorem numerum, & Donat. Rer. re-

gul.

gul. tom.2. tract.1.q.10. nu. 16. ibi: *Nec nocet declaratio Sac. Congregationis &c. Loquitur enim de coarctatione, facienda à Prælato ad suum libitum, non autem de ea, quæ posset esse ex necessitate, causa rationabili, lege, vel Constitutione Ordinis.*

15 Quæ si procedunt de toto rigore iustitiæ ex supra allegatis, multò magis admittenda videntur in nostro casu ad hoc, ut EE. PP. manibus palpent, quòd non ex voluntate P. Generalis nostræ Religionis, minusque ad proprium libitum eiusdem, deuentum fuit ad nominationem sex vocalium, sed ex mera necessitate, & ex infelici statu nostræ Prouinciæ, in qua *Generale dissidium, & contentio Religiosorum fabula erat inter omnes Gentes*, juxta verba Excellentissimi, & Reuerendissimi Præsidentis nostri Capituli, in Epistola, Sanctissimo D. N. scripta, & data in nostro *Summ. n.13.*

16 Minorem habet subsistentiam secunda contraria obiectio, quod in nostro Capitulo admissi fuerunt vocales, non admittendi, & rejecti duo, qui admittit debebant, nempè P. Texada, & P. Mugnoz.

17 Relativè enim nos Nos habentes circa rejectionem dd. duorum vocalium ad ea, quæ dicimus in nostris scripturis.

18 Addimus, quoad d. prætensam admissionem vocalium, qui, ut asseritur exadverso, non debebant admitti, quod in omnem casum, attento quod illorum vota non erant sufficentia ad excludendam legitimam eletionem illis demptis, semper valida remanet electio, ex adductis. *à Sairo de Censur. lib. 2. cap. 2. sub num.10. vers. Sicut etiam, Passerin. de elect. cap. 25. n.450. vers. Talis tamen, Pasqual. quæst. moral. quæst. 17. per tot.*, & signanter *num.3.* ibi. *Et ideo, si, non computatis suffragiis inutilibus, adest electio, facta per vota utilia, non debet impediri per inutilia, Castellin. de elect. cap. 5. num.4. & Card. de Luc. de regul. disc.3. sub nu.7. vers. Quamvis, & disc.53. n.13.* ibi: *Cum vota fuissent concordia, nil referebat d. interrentus cum mixtura non habentium votum; Nam contradictor non præiudicat electioni, quæ ab aliis benè conclusas sit, dum difficultas cadit, quando talia vota illegitima ipsam electionem concluderent; secus autem ubi, ipsis etiam non interuenientibus, actus esset benè conclusus*, cum aliis apud *Passerin. de elect. cap. 4. num.19. & seqq. & cap. 14. num. 24.* ibi: *Admissio inhabilis non reddit electionem nullam nisi ex vi nominationis factæ ab illo aliquis sit electus.*

19 Cum quibus procedere solet hæc Sacra Congregatio, & me scribente, processit in *Baren. 18. Februarii, & 3. Iunii 1712. ad Relationem Eminentissimi D. Mei Card. Corsini, & in Ordinis Cisterciensis Capituli Generalis 19. Ianuarii 1720. ad Rela-*

la-

—*lationem Eminentissimi* D. *Mei Card. Nicolai Spinulæ* , in qua adeo certa , adeoque conformis Iuri , & Sac. Congregationum praxi habita fuit huiusmodi conclusio , vt Rescripto pro validitate electionis , factæ cum admissione vocalium , qui non habebant ius votandi , & quibus demptis , conclusa remanebat electio , additum fuit , *vt Causa ampliùs non proponeretur*, vt videre est *in tom.* 4. *mear. Discept. Eccles. par.* 2. *discept.* 9. *per tot. & signanter n.*55.

20 Cæteris fuit præuentiuè responsum .

Quare &c.

Dominicus Vrsaya ,)
Marianus Soccini .) Aduoc.
Gaspar Petraglia .

Sac.Congreg.Episcop.& Regularium

Emo, & Rmo D.Card.

S. *A G N E T I S*

Ordinis Carmelitarum Prouinciæ Bethicæ.

P R O

Rmo P.Didaco Thoma de los Rios & litis &c.

C O N T R A

R.P.Iosephum Gonzales Saldoual

Responsio Facti, & Iuris ex gratia viden.

Typis Zinghi, & Monaldi 1726.